

legatus et durius habitus, cum restitutus esset, vindictam exercuerit, et illam Decimarum litem resuscitaverit. *Quin*, ait, *et illibatam eatenus Fuldenfis Ecclesie jurisdictionem simul infringere presumpsit, ausurus plura, nisi eum mox ab attentatis ac ulteriore etiam proposito revocassent, hinc Pontificia Marini II. auctoritas, inde regia Ottonis I. Majestas.* Marini II. Papæ Bullam non addidit; sed *Ottonis I. Regis Diploma*, in quo ejus mentio fit. Est illud forma Epistolæ, et more Diplomatis finitur. Loco consueti introitus Diplomatum incipit: *Otto divina propiciante clementia Rex Hadamaro Abbati ab Apostolica Sede directo.* Hoc modo de Legato Apostolico communiter veteres loquebantur, qualem tamen Hadamarum non fuisse certum est. Dicit Otto Rex, se literis *Domini Marini Romane Sedis Apostolici, a veneranda Paternitate Hadamari Abbatis sue allatis Excellentie, obtemperantem, Monasterium, quod constructum est in solitudine Boconia juxta Fluvium Fuldaha, in loco quem beatae memorie Carolomanus, antecessor suus, S. Bonifacio Archiepiscopo, Legato Germanico legitima donatione concesserit, sicut ex auctoritate S. Petri Principis Apostolorum privilegio Zacharie sanctissimi Papae, nec non et successoris illius, presati Domini Marini sublimatum esse constet; ita etiam sue auctoritatis precepto roborari jussisse.* Reliqua omnia ex Privilegio, quod Pippini Regis esse vult Cl. Schannatus, et quod hic etiam citatur, quoad singula verba, desumpta sunt. Datum est Ottonis diploma *VIII. Kal. Junii anno dominice Incarnationis DCCCCXLIII. Indictione I. regnante Ottone serenissimo Rege anno VII. Actum Balgesteti.* Quis locus ille *Balgestetum* sit, scire vellem. *Ballenstadii* Anhaltinae nunc ditionis oppido Ottonem I. aliquando fuisse scio; sed cum hoc anno in diebus Rogationum conventum populi Duisburgi habuerit, *Ballenstadii* die 24. Maji esse non potuit. Duisburgo decedens, regno Lotharingico pacando insudavit, ubi nondum locum *Balgestetum* dictum detegere potui. Cl. Schannatus porro annotat, pro *indictione I. et anno Ottonis Regis VII.* legendum esse: *Indict. II. et anno VIII.* Et hoc omnino necesse est, si hos temporis characteres cum anno Christi 944. componere velis. Fatetur ergo Cl. Schannatus ipse, autographum suum vitiosum esse. At qui vitiosum suspiceris a *Brunone Cancellario ad vicem Fridurici Archicapellarii* [ubi *Archicapellani* restituendum esset] recognitum et subscriptum? Bruno enim frater Ottonis Regis erat, et bonis literis instructissimus. Restat itaque, ut dicamus, non esse autographum; sed a fautore quodam Fuldenfis Monasterii effictum. Narrationem de cætero de exemptione Monasterii Fuldenfis per Zachariam Papam adepta nunc paulatim proculsam esse, et ab hoc tempore indies invaluisse non invitus credo. Proderat enim contra Friderici prætensiones de Decimis et alias controversias Monasterio ab eodem motas. Certiora demonstrantes libenter sequar, et sponte mea, quæ dixi, revocabo; si meliora argumenta et documenta proferentur in lucem.

Episcopi
olim Ab-
bates fra-
tres appel-
labant,
non ta-
men ideo,
quod dig-
nitate pa-
res essent.

XVIII. Abbates Fuldenfes jam olim Episcopis pares habitos fuisse ab Episcopis ipsis pro more Schannatus suo demonstrat pag. 6. et argumenti loco affert, Marquardum Abbatem a Gebhardo Episcopo Wirceburgensi *fratrem* appellatum esse, ac addit, *fratris* quoque nomen jam a *Rabano* datum esse *Freculfo Episcopo Lexoviensi* in Epistola Commentario in Genesin et Leviticum præfixa. *Hoc*, dicit, *aqualis fere potestatis ac conditionis evidens in ambobus esse indicium, et denotare insuper ab utraque parte primævam illam a se invicem cum territorio separato independen-
tiam.*